

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 56.

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita junctos.*

Joannes Otto Tabor ex Campis Elysiis ad quem-
dam Capitalistam in Mundo superiore.

Elysium-Meum, Die Martis, 14, Aug. 1810. (Neov. 24, Julii, 1810.)

Et meo tempore aeres de ruina honestatis
querelæ motæ sunt; meo quoque ævo per
eam Capitalistarum Jura proprietatis incerta
reddita & insegura, hæc sors continua in
orbe sortis & qui sortem (Capitale) possi-
dent; hæc fata lugubrisque Capitalistarum con-
ditio! —

Vir industris, labori, solertis deditus per
Commercium hæreditatemque conspicuas ad-
quirit fortunas, adipiscitur opes; ejus filius
molliter & delicate educatur, animo laborandi
aut alia vitæ subsidia fortunasque augendi
facultate destituitur, quid agat? Commodius
vitæ genus aridet, pecunias suas foenori elo-
cat — quanta Commoditas! absque labore,
absque impensa Censu annuus, aut sene-
stris ad Cubile fertur. — Ipse edit, bibit,
ludit, dormit, — obambalat — proh vitam
dulcoem, curarum expertem! — — — Ve-
rum experientia probatum est magistra: di-
vinam providentiam, quæ quemvis moria-

sem ad agendum solenterque vivendum in societatem vocavit providentiam inquam id genus socors vitæ punire & castigare. — Intra 50 aristarum decursum dimidia Capitalium summarum pars perit — per sexcentos Casus, rerum humanarum vices, aliaque innumera eventa vigente etiam Jure, honestate animi & absque lite forensi. —

Hicæ transmitto opulentæ Dominationi Capitalistæ *Planum*, secundum quod doctrinam hanc & veritatem ipse explorare & exigere potes. — Registrum tibi ad hunc finem optimum præstabit usum. Scribe, sis, & inscribe quotannis jacturam quam patiebare, ei libro, & diligenter adnota, exactis 50 annis resultatum, quod mercatorio termino *facili* adpellamus, mihi ad Elysios campos trans mitte, & deprehendes me vera dixisse. Folium probe versa, adnota exacte, post 50 annos remitti mihi peto, Interim vale! —

Postscriptum. Si prius 50 procento jacturam te ferre contigerit infeliciter quopiam fato, citius ad me transmittas velim.

Responsum.

Solatio prospectus ad nostra tempora.

Omne quod finitum est, mutationi quoque obnoxium est — quævis humanæ ordinationes mutantur est necesse — quod necdum optimæ sint — quævis actiones & conatus hominum aliam formam induere debent, quod parum ad hoc usque prudentiæ & Jur. respondeant; ii, quos nova hæc, quam res subeundam habent, forma attinet, com-

patiuntur, animo patienti tolerare & absti-
 nere debent, & de malignitate temporum ama-
 ras querelas oient. — Verum eos solum ma-
 net culpa, iis omne fortunium imputandum
 est, quo miseri conflantur; ipsi soli sunt
 auctores malorum, quorum mole premun-
 tur — si veterem ignaviam exuissent, si so-
 lertia socordiam commutassent, si rationis vo-
 ci aures præbuissent, si adagio: *veteres mi-
 grate Coloni, succedere novi*, morem gassent,
 & sibi met ipsis *Via Novi* causam resuscita-
 rent, si qui *perdidere numerum, incepissent iterum*,
 jam a doloribus, quibus actutum torquentur,
 afficiuntur & conficiuntur, liberi, devastatio-
 nibus & diris belli stragibus ingemiscere at-
 que de jactura armorum queri nequaquam de-
 herent. — Verum Ecce hominem! — Gres-
 su non progreditur nisi omnia perficiens ne-
 cessitatis vis eum urgeat, adeo obfirmatus
 suis moribus & consuetudinibus est, ut exi-
 stimet putetque: omnia in pristino consiste-
 re aut ad priora redire debere — at intra
 lunam nihil est immutabile, nisi quod justum,
 quodque sapiens est. — Si olim nostræ actio-
 nes ordinationesque hæc nota insignitiæ fue-
 rint, tum dirus Mavors tecta nostra non am-
 plius infestabit, arva non depopulabitur, for-
 tunis excidium nostris non inferet. — A ma-
 le agenda abstinere debemus, quod non modo
 melioris notionem habeamus, sed & sapien-
 tia Justitiæque solium regale divino & huma-
 no Jure debitam sibi sedem occupaverint,

Verum infelix solatio eget — quietem animo ejus non adfert dura lex necessitatis, oblectatioque: se omnia infortunii culpam manere, sauciato ejus vulnere lenimen nullum adfert. — Spes excitanda, laetior reddenda est, opemque prope adesse videat, ut tranquilliore animo solatio confortatus consistere valeat.

Exactis revolutionibus cunctis, alacrior fortitudine culturaque majore homo ex lucta Malorum temporis arena excoessit, & in publicam lucem prodiit.

Mitigatis nonnihil praesentibus malis — e vestigio eorum commodorum participes reddemur — ex iis usum capiamus oportet, fietque ut non modo omnia mutantur, sed & in melius vertantur. — Viribus potens percipiet: suarum cumprimis partium esse, opem salutemque ferre, ubi & qua ratione valet, dolores leniendi obligationem sibi incumbere, quorum causa est: ejus praedicta opinio- nes, ejus coecitas mentis, & quod temporis vocem aspernetur, — Auxilio opeque potentum omnium sors intra breve melior reddetur — decentia, securitas, & libertas postliminio revertentur, & quisque cunctis, quorum gratia Civitas est, a lege commodis fruetur, animo solum forti & alacri opus est. — Non malis cedendum, sed contra audacius eundem. — Ops prope est, uberior ea, largiorque futura, ac de praesenti infelix autemet. —

Est profecto ens supremum providentissimum, quod cursum mundi ad Justitiæ præscriptum exigit, & secundum eam omnia moderatur, quodve homines ad desperationem perducere nequaquam vult. — Justus inquam Judex præest hominum sorti, & insontem sors sontis ferire non audet — huic asserto fidem & vadimonium præbet ratio, quod cordibus nostris altum insculptum & infixum est, sique omnia labantur, omnia intereunt, hæc fides inconoussa manet, continuoque & intelligenter & penetranter omnem qui aurem præbere vult, adfatur.

Multi ærumnas tolerando nos præcessere, mox versa adversantis fortunæ aia est. — Exacto bello tricennali placidius ac ante luxit Phoebus; bellum quod in annalibus Europæ septennalis nomine venit, præcipuum incitamentum & excitamentum Culturæ & solertis ætatis nostræ fuit, quævis rerum adjuncta, quantum fieri potuit, tolerabilia reddidit, neminemque laborandi scium cupidumque algere sivit. —

Labor oppobalsamum est tempore fatali, solatium in adversis, labore vi quadam magica animo tranquillitas inseritur, turbulibusque ac procellis externis resistitur. —

Omnes jam in hanc sententiam concedant est necesse: ex hodierno mundi cursu tantum boni, quam potest, colligendum, quidquid generi humano emolumentum adfert & rei publicæ saluti cedit agendum, suscipiendumque esse. —

Non diutius melioris effectuatione differenda est — quævis cogitatio talis dilationis calumnia est. Qui bonum, quod in sua manu est, non operatur, peccatq; se obstringit in humanum genus & divinitatem, talesque adversus divinas humanasque leges seditiones nec in hac, nec alia vita veniam obtinent.

Cuncti probi & cordati viri vires conjungant oportet, ne quid boni intermittatur, ex altera parte ne quid perpetretur mali. —

Cujus aerumnæ tandem finis esse debet, quodque a jure alienum & profanum est, id juri & sancto locum cedere debet.

B I O G R A P H I A,

Johannes Otto Tabor Anno 1604 Bozeni in Lusatia natus plura diversaque fecit itinera experientia cognitionisque sibi comparanda gratis — ipso, quo patria, in qua causarum patronum egit, domesticis vexabatur bellis, tempore. Anno 1640 Giessenam veniens a Landgravio Hassæ Darmstad. Consiliarius denominatus est, tum Francofurtum profectus ubi vis moesta patriæ eum persequabantur adjuncta, quæ ei maxime cordi erant. Obiit supremum Anno 1674. relicta sui ut probi viri & admodum æstimati Euditi memoria. D. Braschius vitam ejus descriperat, reliquit multa opera, inter quæ *de præsidio debitarum infelicitum* hodiecum legi cum utilitate & voluptate potest. — Id quoque memoratu de eo dignum: quod in diversis religiosis Tractationibus Lipsiæ Argentorati aliisque urbibus, in quibus frequentes Congressus

& Colloquia instituta sunt, ceu moderatus Eruditus operam suam locarit, multa quoque munera, a diversis sibi Principibus oblata deprecatus sit. — Maturiore ætate acerbe questus est de acerbis impetitionibus & invectivis quibus hæc partes se inuicem lacessiverant, & dolorem de Germania patria intulit tumulo. — *Terra ei levior fuit ære.*

Consectoria hodierni belli.

Pax maritima aliquando tamen citius aut tardius conficietur. — Continuo nihilominus industria, artes, & Commmercium Continentis prout & Angliæ palmarem differentiam a priore suo statu exhibebit. — Intermedio tempore, quo reciprocis carere necessitatibus docti sumus, nonnulla industriæ subsidia excogitata nova, aliqua domestica emendata — quædam amplius exulta — quædam exteris prælata sunt. — Ita fit: necessitas, rerum gubernatrix, amplificat & filtrat fontes opum nationalium.

Austria

Vienna 18. Julii. In omnibus familiaribus Circulis ut argumentum Colloquiorum viget secundus armorum Russicorum in Turcia progressus, quivis suam opinionis addit symbolam. — Interim res singularis: Ephemerides Salisburg. oppositionalem in hoc argumento paginam efficere — Turcis victorias deferunt, Russos receptum canere referunt, cum tamen hæc paginæ sub Gallica Inspectione redigantur in Ordinem. — Ut ut res se habeant, adagium vulgo circurrit: fumus glia

centem denotat ignem. — Si Russis M. Vezirii exercitum primo æstu cedere licuerit, fiet omnino ut voti reddantur compotes — quod si vero bellicas eorum operationes protrahi contigerit, tum vero adeo diversa omnino expendentia adjuncta intercedunt, e. c. pestilentia, defectus comæatus, animique, Clima &c. ut progressus festinatione duatætaxat parabiles retrogradam directionem obtineant. — Ita continuo se res habuere in dextra Danubii ora, ex quo bella adversus Muselmännos ex priorum expeditionum bellicarum experientia ad regulas Tacticæ expendebantur & exigebantur.

Politicae Episodæ.

Opus Medici Cl. Joannis Antonii Gay ex Montepessulano (Montpellier) cui titulus: *De noxietate Zachari.* — Parisiis editum typisque vulgatum est — Medicus hic dulcissimo, suavissimoque Crystallo innocentiam, gustum, utilitatem adimere conatur. — Sedecim lustris dulcis gloriæ suæ jura auctoritatemque ejus incassum vindicare nituntur. — At opus legebatur ad phialam Coffeæ, Zacharum inter legendum frustillatim phialæ injectabatur, labia diducebantur & ludibrio exhibillationique patuit cavillator vetustæ, omni jure vindicata gloriæ. — Ipsi Machaoniæ artis periti graviter in hostem nobilissimi producti inveci, agendumque temerarius Doctor habet, ut se ex hac litteraria pugna, quam quam parumper mutilatum, expediat.